

*Appendix. — Europa Nro 47.*

## Regnum Mortuorum.

Sermo Politicus.

De influxu veterum religiosarum opinionum in Politicam.

*Elysium — Meum 27. Maii 1808.*

*Textus: Laudamus cuncti unum Deum.*

*Vetus Adagium.*

Et Majores nostri perspexerunt, et nos perspicimus, in chara Patria nostra opiniones religiosas potentem influxum in scissiones politicas habuisse; formasse eas inter nos quamdam oppositionem, Germanos a Germanis avulsisse, et in vita civili odium nationale generasse. Sed quo haec nos deduxerunt? Aut potius quam procul recidimus? — Omnia disparuerunt, oppositio, scisso, geliositates, et forte etiam pertinacia in hac vel illa politica opinione; hanc unionem Majores nostros jam a saeculis optasse, probat narratio sequens:

Advenerant tres Germani Theologi ex tribus principalibus Sectis, nempe unus Catholicus, unus Evangelicus, et unus Reformatus, ad portam Coeli. Stupentes mutuo se aspexerunt, more tamen veteri Germanorum semet salutarunt; Ast daemon controversiarum, quem secum ferebant, hic quoque eos ad controversiam provocavit. Tandem pulsat Catholicus, et Janitor Coelorum, S. Petrus aperta portula, prospiciens, eosque in fervore videns, qui nam essent? interrogavit. Sumus tres Theologi dominantis Ecclesiae in Germania, reposuerunt. Quid? retorquet Petrus, vos estis Doctores Christiani, et adhuc ante Coeli portas disceptatis? — Ego vos admittere non possum, ite ad regionem aeternorum dissidorum, in Coelis, ubi aeterna pax et beatitudo regnat, vos locum non habetis. Excusavit se adhuc cum mansuetudine christiana, et occlusit fores Coelorum ante nasum Theologorum. Steterant ad haec Theologi iustar delinquentium confusi, et consternati, unus alterum aspicientes. Libenter intrassent Coelum, et ideo sedentes in separatos angulos, expectantes que Petrum, ut illi argumentis theologicis demonstrare possent, sibi jus ad regnum Coelorum esse; sed Petrus non venit; tandem ad fallendum tempus, quod ipsis

ongum erat, intonarunt notum illud Canticum: *Omnes laudamus unum Deum.*

Prospiciens ad haec de fenestrula Petrus, dicebat: Quid, laudatis vos unum Deum? Cur hoc initio statim non dixistis? ego vos attunc statim admissem; venite ad nos, nam omnes habetis unum Deum. Haec antiqua historiola; quae ubique in conventiculis, ubi disceptationes theologicae jam nauseam excitabant, narrabatur, ut tandem his fatilitatibus finis imponatur, et vetus *Alemanneria*, ubi in unitate Germanica unus pro omnibus steterat, conservetur. Haec fabella argumento est, Majores nostros Germanos veterem unionem, quam politica magis, quam religiosa principia turbaverant, restabilire semper adnisis fuisse; haec erat internus quidam nisus ad unitatem germanicam; sed erant multi, quibus discordia praeplacuit; huic nisui sociatus est pruritus independentiae, qui obsoletum illud adoptant principium: *Inturbido bonum est piscari*; cui oppositionem, et contraoppositionem suam superstruxerunt.

Systema persecutionis in Germania legibus nitetur; Religio in regno lege adoptata, omnes aliarum religionum sectatores excommunicavit; hinc erat Germanus Germano mortalis inimicus, ad quod eis hactenus quaevis constitutio jus tribuit; erat haec species fermentationis in ipsis praecordiis Germaniae, et odii, ac hostilitatum aeternum fermentum. Conabantur quidem viri sapientiores, quales ubique erant, hanc acrimoniam temperare, sed natio tota steterat constanter in aperto, et, si dicere fas est, legali bello oppositionis. Jam Fridericus Magnus, et Josephus Secundus vulgarunt in suis regnis Edicta tolerantiae, quorum scopus erat, Germanos Germanis reconciliare; ast in minoribus provinciis paucos admodum invenerunt imitatores, et fatale illud: *Uti possidetis*, erat etiam opinionibus religiosis, *velut interdictum perpetuum*, impositum.

Saeculo 19. reservavit Providentia gloriam, ut hic violentus status, hic nodus gordius, mandato unius Alexandri Magni dissolvatur. Omnes religionum Sectatores ubique aequalia jura accipiunt; nulla religiosa opinio dividit amplius societatem in diversas partes; nunc possumus illud vetus, quemadmodum tres illi theologi, ad fores Coelorum, in Germania quoque canere. — Omnes laudamus unum Deum! Hic violentus religionis status ne quidem Romae est amplius, sed existit in Anglia, ut docent sequentia:

*Londini* exhibuerat 11. Aprilis Lord *Grenville* in curia superiori Instantiam Catholicorum Hiberniae, innumereis propemodum supplicantium nominibus signatam, ubi aequalem cum Protestantibus sibi dari petunt Religionis libertatem. Curia determinavit, ut Instantia haec 13. Maii in de liberationem sumatur. Pariter in curia inferiori exhibuit

D. C.  
Hib  
ut r  
in A  
poti  
laud  
ad a  
nos  
opin  
trem  
trari

orum  
loda  
hacte  
dem  
niste  
Inter

dinar  
latun  
rio G  
Place

bris,  
sici i  
institut  
consi  
Gene  
et Tu  
tamen  
non m  
positi  
audea

Gros  
amise  
miensi

M  
munit  
anoru  
comm  
habita  
Idem  
offici  
siliari  
R  
ctenus

D. *Grattan* similem Instantiam, in qua 17000 Catholicæ Hibernici subscripti erant; ad quam pariter conclusum erat, ut 16. Maii in pertractationem diaetalem sumatur. — Ergo in Anglia non licet cantare: Omnes laudamus unum Deum; sed potius: Omnes laudamus Plutum. „Ergone vos Angli omnes laudatis Plutum? sed quamdiu? Nos quidem Germani etiam ad aram ipsius apud vos thesauros nostros deportavimus, sed nos prudentiores facti, non amplius ei litabimus; Nos in opinionibus religiosis tolerantiores, sed erga merces vestras extreme intolerantes effecti sumus. Apud vos Brittos recte contrarium est.

Etiam Hollandia novam accipit educationem haec Deorum progenies, *Tolerantia*, quemadmodum literae Amstelodamo ferunt. Rex solenni Decreto Rem Religionis, quae hactenus apud Ministerium Internum pertractabatur, ab eodem Ministerio separavit, specialeque pro illa constituit Ministerium, D. *Mollerus*, qui hactenus Ministerium Rerum Internarum direxit, ad Ministerium Religionarium vocato.

*Parisiis*: Senatus celebravit 22. Maii sessionem extraordinariam sub praesidio Principis Summi Cancellarii, in quo latum erat Senatusconsultum circa incorporationem Imperio Gallicano Regni Hetruriae, Ducatum item Parmae, et Placentiae.

Circa res Russo-Ottomannicas, dispulsis tantisper tenebris, jam non nihil clarius videmus. Summus exercitus Russici in Moldavia, et Valachia Dux, Princeps Prosorovszky instituit pro curandis rebus publicis his in diionibus unum consilium supremum (Divan) sub praesidio Senatoris, et Generalis *Kuschnikov*: Prolongatio Armistitii inter Russiam, et Turciam officiose quidem adhuc non constat. rumor tamen, qui hoc ipsum vulgat, passim fides habetur; Russi non minus, quam Turcae quiescunt in suis castris. Haec positio terret Turcas, ut ad partes Angloꝝ defletere non audeant —

Landgravius Hassiae Fridericus Georgius Augustus obiit Grosgeraviae 9. Maii, anno aetatis 49. in quo pauperes verum miserunt Mecaenamem: sepultus est in Caemeterio Greishalmiensi, quemadmodum ipse ante mortem disposuerat.

Magnus Dux Herbipolitanus 8. Maii conaverat Communitati Protestanticae Herbipolitanae Ecclesiam Carthusianorum pro celebrandis Divinis, ac praeterea dedit eidem communitati Parochum, cui Magnus Dux praeter gratuitam habitationem competentem etiam assignavit dotationem. Idem Parochus introductus est praedicto die in functionem officii per Directorem Politiae in praesentia multorum Consiliariorum M. Ducis — Ergo omnes laudamus unum Deum.

Rex Bavariae pro universis Ditionibus suis, quae hactenus heterogeneis, et admodum dissonis regebantur con-

stitutionibus, unam eandemque generalem, in aequalitate subditorum, majorique concordia, et harmonia partium cum toto fundatam dedit Constitutionem Organisatio novae hujus Constitutionis propediem in effectum deducetur, in qua Representatio Nationalis concentrata est.

*Mediolani:* Rumor de sublatione Monasteriorum terruit eorum habitatores, praesertim in ditionibus Florentinis, ideo ad placandos animos altiori impulsu publicatum est: non agi de plenaria claustrorum obrogatione, sed nonnisi de non nullorum, minus necessariorum, quorum Confratres ad alia, quae remanebunt, claustra transferentur, ubi, cui placet, vitam monasticam agere poterit. — In ditionibus romanis novissime intercepti sunt 10. Praedones, quorum crudelium vestigia jam dudum pressit publica vigilantia. Antequam se dederent, diu cum militibus luctabantur. Deputatio Genuensium, quae Turin missa fuerat, 14. Maii, missione sua perfuncta, Genuam rediit, mansuetudine Principis Gubernatoris, et Principissae infascinata.

*Parisiis:* Cardinalis Parisiensis admodum graviter decumbit, et 23. Maii omnibus morientium Sacramentum provissus est. In omnibus Ecclesiis institutae sunt 40 horarum preces pro conservatione venerandi hujus Praelati. In itinere Bajonna usque Parisios erigitur multitudo nationalis, quae reducem Imperatorem excipiet.

Quidam Officialis, qui cum Rege Portugalliae in Brasiliam emigravit, Londinum reversus, narrat; Regem colonis hispanicis in America Meridionali bellum indixisse, et quemdam Anglum Ministrum suum nominasse. Narravit porro: Marchionem *Bombal*, Don *Pinto*, antehac Ministrum; *D. Aranzo*, et Josephum *Igilio*; erecto contra illos ex capite perduellionis processu, capite domatos esse. *V. Comes Aranda* in exilium relegatus est. — Legatus Austriacus *S. Vincent* jam ante biduum Parisios pertigit.

*D. Alopeus*, Legatus Russicus Londini, fuerat adhuc 21. Maii *Nanneti*, quorsum post discessum suum Londino diverterat — Norvegia habet extensionem arealem 6966 quadratorum milliarum, et 897,874 Incolas; Finlandia vero Svecica 3000 quadrata milliarum, et 795,625 Incolas — Politica aequivalentia.

—————  
*Vestis facit Monachum (hominem.)*

Hoc notare sibi deberent Pictores. Quam miseram faceret figuram Fredericus Magnus, aut alter quis magnus, si absque ornatu nudus pingere? Heliogabalus potest quidem nudus pingi, sed addi debent duo porci, ut porcismus ejus repraesentetur. As: Marcus Aurelius debet in ornatu exhiberi, Aesopus autem cum suo gibbo. Impudica Venus potest auda comparere — pro impudicis, et sceleratis. —